



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus VII. Argumentum. Ordinato turno seu Alternativa super Jure præsentandi inter Patronos, si præsentatus ab existente in Turno cedat, aut decedat ante Institutionem, an Turnus dicatur consumptus, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

pi; quandoquidem cum, ut toties repetitum fuit, isti non constituent nisi medietatem vocum in hoc Jurepatronatus, ac alia medietas omnimodè spectet ad Mariam Lucretiam filiam Tancredi, hinc fit consequens, quòd Franciscus Maria uti nominatus à Maria Lucretia Matre habere dicatur extra controversiam medietatem vocum, quæ sola sufficit, ut tanquam filius Compatronæ in paritate vocum præferatur alteri Contradictori prorsus extraneo juxta æquitatem commendatam à gloss. in Can. neminem dislin. 60., de qua Vivian. de Jurepatr. lib. 14. cap. 2. num. 64. Adden. ad Pamphil. decis. 294. nu. 11., Rot. coram Ubald. decis. 339. nu. 7., & in Alatrina Jurispatronatus 15. Junii 1705., & 7. Decembris ejusdem anni coram Eminentiss. Scotto, & in Sorana Jurispatronatus super Institutione 27. Januarii 1710. §. Et quatenus coram eodem, & 22. Januarii 1712. §. fin. coram R. P. D. meo Falconerio. Quin gratificatione ei in vocum paritate debita indignum se reddiderit, ex quo pendente termino ad appellandum controversi Beneficii possessionem nactus fuerit, & proinde incidit in pœnam Cap. Avaritia de elect. in 6, quod procedere etiam in Præsentatis ad Beneficia inferiora, dixit Rota coram R. P. D. meo Ansaldo decis. 95. num. 13. Siquidem quidquid sit, an Franciscus Maria verè occupaverit Beneficii possessionem, pœna in dicto Capitulo comminata vindicat solum sibi locum, ubi Præsentatus in vim solius nominationis possessionem Beneficii propria auctoritate usurpasset, secus verò ubi illa apprehendatur, ut in præfenti, post Institutionem ab Ordinario legitimè reportatam, ut distinguit Lotter. de re Benefic. lib. 2. quest. 13. nu. 13., & 14. Corrad. in prax. Benef. lib. 4. cap. 6. nu. 16., Vivian. de Jurepatr. lib. 20. cap. 8. nu. 12., & seqq., & firmavit Rot. in rec. decis. 22. nu. 15., & 16. part. 16.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Ordinato Turno, seu alternativa super Jure præsentandi inter Patronos, si Præsentatus ab existente in Turno cedit, aut decedat ante

Institutionem, an Turnus dicatur consumptus adeò ut sit locus Turno favore alterius Patroni.

SUMMARIUM.

- 1 Præsentatio ineffectuata an consumat Turnum? vide ibi, & num. 2.
- 2 Enumerantur modi, quibus evenire potest ineffectuatio præsentationis.
- 3 Præsentatio ineffectuata ex eo, quia Præsentatus cesserit, aut decesserit ante institutionem non consumit Turnum, & numer. 7.
- 4 Præsentatio ineffectuata ex impedimento injustè præstito ab ipso Collatore, aut ab altero Compatrono, cui competit successivus Turnus, non consumit Turnum.
- 5 Provisio Apostolica facta in Turno unius Patroni, an illum consumat?
- 6 Præsentatio ineffectuata ex culpa, & negligentia Patroni Turnarii, an consumat illius Turnum?
- 8 Auctoritas Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 12., & Card. de Luc. de Regul. disc. 4. num. 3., quo sensu procedat? vide ibi.
- 9 Vacante Beneficio in Turno unius Patroni de communi consensu simul præsentaverint in illo, Turnus illius Patroni non consumitur.
- 10 Diviso Jurepatronatus passivo inter duo genera Personarum per Turnum, si in vacatione Beneficii non existat ullus qualificatus de primo genere Personarum, ad quod spectat Turnus, & præsentatio fiat de Persona secundi generis, per hanc præsentationem Turnus secundi generis Personarum non consumitur; imò neutrius, ut num. 12.
- 11 Alternativa, seu Turnus dicitur cessare, & suspensus remanere quando non existit ullus de genere Personarum passivè vocato, & num. 13.
- 14 Consensus præstitus Permutationi Beneficii à Patrono Turnario, consumit hujus Turnum.
- 15 Collatio Beneficii liberè facta ab Ordinario jure devoluto Persona, cui competit Turnus passivè nominationis, an illum consumat, vide ibi, & num. 19.
- 16 Præsentato à Patrono debetur institutio.
- 17 Præsentatus à Fundatore preferendus est Præsentato ab aliis Patronis.

- 18 *Vocatio directa à Fundatore, ad unum ex filiis certa persone, ad alios filios ejusdem persone non est extendenda.*
- 19 *Ordinarius conferens jure devoluto beneficium Patronale debet observare formam in illius fundatione præscriptam; imò & Summus Pontifex, & num. 20.*
- 21 *Fraus non debet parere commodum fraudanti.*
- 22 *Si passivè vocatus, cui competit Turnus sit incapax, fit locus sequenti Turno alterius passivè vocari.*

C A S U S VII.

AD formam hujus Canonis divisum fuit Jus præsentandi per Turnum, & alternativam inter duos Patronos. Vacato beneficio Patronus existens in Turno præsentavit ad illud quemdam Clericum, qui ante institutionem ab hac vita deceffit. Queritur in hoc casu, an Turnus hujus Patroni dicatur consumptus, adèd ut sit locus Turno favore alterius Patroni, vel potiùs primus Patronus possit ad novam præsentationem devenire.

- 1 Videtur dicendum præsentationem hanc factam à primo Patrono Turnario consumpsisse hujus Turnum, quia ipsa quantum est in se, est actus perfectus, dum fuit facta coram habente instituere, & à Præsentato acceptata, adèd ut primus Patronus per eam officio suo functus esse dicatur; & licèt Præsentatus institutionem, & possessionem beneficii non fuerit consecutus, hoc non provenit ex aliquo impedimento præstito ab altero Patrono, cui competit successivus Turnus, sed à casu accidentali præventivæ mortis ejusdem Præsentati, qui casus redundari non debet in præjudicium ejusdem secundi Patroni, & impedire locum Turno illius favore; uti sentire videtur *Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 12. ibi = Si verò Episcopus, aut Capitulum collationem alicui fecerit, & post illam acceptatam, ante apprehensionem possessionis, talis provisus cefferit, aut decefferit, tunc jam dicetur collatio effectuatæ, & Turnus consumptus, = & clarius Card. de Luc. de Regular. disc. 4. num. 3. ibi = Secùs autem ubi à Tertio, ut tunc id cadat sub diversa regula casualis ineffectuationis, quæ non impedit Turni consumptionem, quamvis*
- Pars IV.

- Provisus beneficii possessionem adeptus non esset.*
- 2 Verùm hoc non obstante contrarium censo tuendum, pro cuius veritatis assecutione præsupponendum est ineffectuationem præsentationis multipliciter evenire posse; Primo nimirum ex casu accidentali; Secundo ex impedimento præstito ab altero Compatrono, cui competit successivus Turnus, vel ab ipso Collatore; Tertio ex impedimento præstito à Tertio; Quarto ex propria culpa ipsius Patroni Turnarii. Si præsentatio sit ineffectuatæ ex casu accidentali, e.g. ex eo, quia Præsentatus sit defunctus, aut non acceptaverit præsentationem, aut cefferit, & renunciaverit præsentationi ante institutionem, ipsa Turnum non consumit, sed Patronus Turnarius potest iterum præsentare, ea ratione, quia præsentatio dici non potest perfecta etiam post Præsentati acceptationem nisi donec & quousque supervenerit Institutio Superioris, quæ plenum jus tribuit Præsentato; *Text. in cap. Si electio de elect. in 6. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 6. & seq. Gratian. discept. 58. num. 11. Tondut. quest. benef. par. 2. cap. 3. §. 8. num. 37.* Si sit ineffectuatæ ex impedimento præstito ab ipso Collatore eo, quia e.g. injustè denegaverit Præsentato institutionem, aut ab altero Compatrono, cui competit sequens Turnus, tunc etiam Turnum non consumit, aliàs hujusmodi impedimentum præstitum ab altero Compatrono, commodum huic pareret, quòd improbant omnia jura, nè detur occasio fraudibus *ad Text. in l. nec & dolo ff. de dolo, & in cap. Postulastis de concess. Præben. Card. de Luc. de Regular. disc. 4. nu. 3. Rot. decis. 372. num. 17. part. 18. rec., & in Tusculana Cappellaniæ 15. Martii 1715. §. Aliàs coram R.P.D. Ansaldo.* Si sit ineffectuatæ ex impedimento præstito à Tertio e.g. à Summo Pontifice, eo quia ipse apposuerit manus conferendo alteri beneficium, tunc pariter non consumit Turnum, nisi Papa in sua provisione, hoc velle declaret, mediante speciali derogatione Jurispatronatus, seu Juris spectantis ad Turnarium juxta *Tondut. quest. benef. part. 2. cap. 3. §. 8. num. 35. & seqq. Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 8. Rot. in Vicen. Canoniciatus 18. Februar*

6 *bruarii 1701. §. Quoniam coram Eminen-*
tiss. Tremoille. Denique si sit ineffectuata
 ex negligentia, & culpa ipsius Patroni
 Turnarii, eo quia nec ipse, nec ejus Præ-
 sentatus promoverunt præsentationem,
 neque insteterunt coram Ordinario pro
 institutione, vel quia scienter præsentaverit
 inhabilem, & incapacem, & tunc præsentatio
 licet ineffectuata consumit Turnum,
 quia cum ineffectuatio sit culpabilis Patrono,
 hujus culpa sibi, & non alteri Compatrono
 debet esse damnosa. *Gonzal. ubi supra dicta gloss. 45. §. 3. nu. 31. cum seqq.*

7 Hoc supposito; jam patet resolutio præ-
 sentis quæstionis; ineffectuatio siquidem
 supradictæ præsentationis provenit ex casu
 accidentali præventivæ mortis Præsentati,
 unde ex supradictis præsentatio illa
 consumere non valuit in hoc casu
 Turnum primi Patroni, sed iste potest
 iterum præsentare, cum facultas aliquid
 faciendi non intelligatur consumpta, nisi
 factum habeat effectum suum. *Merlin. Pignattell. contrav. forens. tom. 1. cap. 50. per tot. Gonzal. ubi supra num. 4.*

8 Non obstat auctoritas ejusdem *Gonzalez,*
 & *Card. de Luc.* ubi supra in contrarium
 relata; Ille enim loquitur de collatione,
 quæ per acceptionem perficitur, & plenum
 jus tribuit ei, ad cujus favorem facta
 fuit: iste verò loquitur confusè de jure
 conferendi, & præsentandi; quinimò
 alibi de *Præmin. disc. 28. num. 14.* agendo
 de nominatione, supponit tunc per eam
 consumi Turnum, quando fuit à Superiore
 admissa.

9 Ad materiam plures hic annecto casus,
 ex quibus agnosci potest, quando Turnus
 dicatur consumptus, & quando non. Primus
 est, si Jus præsentandi sit divisum per
 Turnum, & Alternativam inter plures
 Patronos, e. g. A. B. C., & succedente
 vacatione in Turno Patroni A, omnes
 Patroni simul in ea præsentaverint; Quæro
 an Turnus Patroni A, in hoc casu dicatur
 consumptus?

Respondeo negativè; ut enim Turnus
 consumatur, oportet quòd Turnarius
 præsentet solus, ita ut per illius præsentationem
 evacuetur ejus Turnus, & fiat locus
 Turno alterius; hic enim dicitur Turnus,
 & in hoc consistit Alternativa, *Gonzal. ad Regul. 8. gloss. 45. §. 3. num. 42.*

Rot. decis. 300. num. 10. coram Royas, & in Salamantina apud Garz. de benef. par. 5. cap. 1. num. 709., & decis. 90. num. 2., & decis. 97. num. 2. coram Ottobon., & in Cracovien. Parochialis. 28. Junii 1706. §. de validitate cor. Reverendiss. Molines. Aliàs si præsentat simul cum aliis, Turnus dici non potest consumptus pro illo, imò nulli computatur hæc præsentatio, quia nemo gaudet Turno suo singulariter, & privativè, sed omnes simul dicuntur gaudere jure præsentandi; Unde actus communis nemini ex illis particulariter adscribi, & computari potest. *Text. in cap. Cum in illis §. Si verò de Præben. in 6., & cap. final. versic. Sive dentur in communi eodem tit. in 6. l. hemo ex sociis, ff. pro socio.*

10 Secundus casus est; divisio Jurepatronatus passivo inter duo genera Personarum, e. g. inter Clericos Familiæ A, & Clericos Familiæ B per Turnum, & Alternativam, si in vacatione beneficii non existat ullus Clericus de Familia A, ad quam spectat Turnus, & præsentatio fiat de Clerico Familiæ B, per hanc præsentationem an Turnus Clericorum Familiæ A consumatur.

Respondeo per illam præsentationem Turnum Clericorum Familiæ A non consumi; Ratio est, quia licet in prima vacatione Turnus spectet ad Clericos Familiæ A, tamen cum de tempore vacationis non reperitur ullus Clericus de Familia A, Turnus hujus non potest habere locum; & Patronus præsentare potest alium ex Clericis Familiæ B; cum Alternativa, seu Turnus dicatur cessare, & suspensus remanere, quando non existit ullus de genere Personarum passivè vocato. *Text. in cap. Abbate de verb. signific. in fin. ibiq. Abb. num. 8., & in can. In nomine Domini dist. 23. Fagnan. in cap. Cum dilectus num. 51. de consuetud. Pax Jordan. tom. 2. lucubrat. lib. 10. tit. 27. nu. 20., & seqq. Garz. de benef. par. 7. cap. 15. numer. 12., & 14. Rot. coram Millin decis. 184. num. 6., & seqq.* Et consequenter cum Clerici Familiæ A utpote non existentes præsentari non valuerint, non fuit consumptus eorum Turnus, sed in sequenti vacatione, si existant, ipsis debetur jus passivæ præsentationis. *Gloss. in dicto cap. Abbate verb. Donec ibidem, versic. Sed pone, ibiq. Butr. num. 23. Joann. Andr.*

Andr. num. 8. Zabarell. in S. final. num. 3. Hofien. num. 16.

- 12 Inò per dictam præsentationem neutrius, nimirum nec Clericorum Familiæ A, nec Clericorum Familiæ B Turnus consumitur, quia pro illa vice dicitur præsentatio extraordinaria, seu subsidaria extra legem turni, ita & taliter, quod Turnus in sequenti vacatione pertinere debet ad Clericum Familiæ A. *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 37. & seq. Garz. de benef. part. 5. cap. 1. num. 243.*
- 13 Urgente ratione, quia impossibile est, quòd consumatur Turnus in præjudicium Turnarii, quando hic non existit in rerum natura, cum non entis nullæ sint qualitates, & ideo quoties nova succedit vacatio, & reperitur Persona, quæ antea non extabat, ista jure quodam postliminii consequitur Turnum sibi competentem; *Textus in capit. 2. de suppl. neglig. Pralat. in fin. ibiq. gloss. verb. in posterum Card. de Luc. de Regular. disc. 10. num. 2.* Et ratio ulterior est, quia Turnus non consumitur, nisi quando præsentatio fit favore generis vocati, quæ simul habeat effectum, nisi Turnarius sit in culpa. *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. nu. 4. Rot. in Bononien. Parochiali 2. Martii 1708. §. Quòd autem, & §. Etenim coram Eminentissimo Priolo.*
- 14 Tertius Casus est, Diviso inter Patronos Jure præsentandi per Turnum; si Beneficiatus permutet beneficium Patronale cum altero beneficio in Turno unius ex dictis Patronis, & iste consentiat permutationi; an hujusmodi consensus consummat illius Turnum? Respondeo: Affirmativè quia consensus ille habetur loco præsentationis, ut docent *Lambertin de Jurepat. lib. 2. part. 1. quest. 6. art. 6. sub num. 20., & 22. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. numer. 52. Rot. decis. 163. num. 13. coram Durand. & decis. 34. num. 8. coram Priolo, & in Cremonen Beneficii 2. Maji 1718. §. Non difficultus coram R. P. D. Lancetta.*
- 15 Quartus Casus est: Si Fundator dividat Juspatronatus passivum inter diversa genera personarum per Turnum, & Alternativam, e. g. demandet, quòd cappellania, sive beneficium possideatur ordine successivo ab uno filio Titii, deinde ab uno filio Caji, & postremo ab uno

Pars IV.

filio Sempronii; si succedente vacatione beneficii, & nemine ex vocatis intrà terminum statutum comparente, Ordinarius conferat beneficium jure devoluto, cuidam filio Titii; quæritur an provisio ista facta ab Ordinario jure devoluto consumpserit Turnum spectantem ad unum filium Titii, seu potius succedente iterum vacatione beneficii, iterum etiam obtinere debeat dictum beneficium alter filius ejusdem Titii.

Hujusmodi casus disputatus fuit in *Sacra Rota*, cui placuit definire, provisionem illam liberè factam ab Ordinario jure devoluto, consumpsisse Turnum spectantem ad unum filium Titii. Rationem verò ita definiendi desume ex sequenti Decisione.

R. P. D. A N S A L D O

Tusculana Cappellania.

Ven. 15. Martii 1715.

IN iisdem Tabulis, in quibus de anno 1679. pro ultima vice datum fuerat Petro de Magistris de bonis suis disponere, tres erigi, suisque sumptibus dotari Ecclesiasticas Cappellanas in Ecclesia Patrum Scholarum Piarum mandaverat sub ea lege, ut non prius facultas nominandi Cappellanos relicta pro una voce iisdem Patribus, & pro Altera Conservatori Civitatis ad effectum deduceretur, quàm consumptæ essent per Turnum omnes illæ nominationes personarum, quas ordine successivo instituendas Testator ipse voluerat, videlicet post Paulum Crispum, Josephum Butium, & Joannem Bernardinum de Blancis, quos in primis Cappellanos designaverat = *Abino da succedere ordine successivo, secondo che per scala da me sono nominati gl'infrascritti, cioè Bernardino Buzj, Gio: Paolo Manna, il Sig. Pietro Galoppi &c., Paolo Antonio Ferri &c., un figlio del Sig. Pietro Arigoni, un figlio del Sig. Giuseppe Buzj, un figlio del Sig. Giulio Pelli, ed un figlio, che nascerà da Maria, e Faustina Buzj* (sunt verba ipsa à Testatore prolata) quibus omnibus consumptis fieret tandem locus nominationi Patrum, & Conservatoris, non tamen effrenatæ, ac omninò liberè, sed = *Con questa condizione però, che li*

H 2

fog-

soggetti da nominarsi, voglio, che siano del mio sangue, e più prossimi al mio parentato &c., ordinando, che da questa elezione restino sempre esclusi li forastieri &c., ut ipse Testator prosequatur.

Cùm autem per obitum Pauli Antonii Ferri vacasset de anno 1712. altera ex memoratis Cappellaniis, ac ad eam, sub supposito, quòd nullus alius de designatis à Testatore instituendus amplius superesset, unanimi Patronorum, nempe Patrum, & Conservatoris voce nominatus extitisset Andreas Butius, hujus institutioni se opposuerat illico Joannes Augustinus Pellius uti filius Julii, ac sub prætextu certæ, & expressæ nominationis de eo factæ à Testatore ibi = *Un figlio del Sig. Giulio Pelli*, institutionem petierat, unde quæstione ad Pro-Vicarium Generalem Tusculanum delata, prodierat tandem sententia Cappellaniam Joanni Augustino adjudicans; à qua cùm provocasset Andreas, mihiq; commissionem dirigi curasset proposito idcirco hodie consueto dubio, *An nempe, & cui sit adjudicanda Cappellania; eam Domini adjudicandam esse Andrea Butio jure merito censuerunt.*

16 Docebat enim, se unicè à Patronis omnibus præsentatum, adeòque ei tantùm beneficii adjudicatio omni jure debita videbatur, ut monet *Rot. in Marsicen. Beneficii 1. Februarii 1709. §. Illi enim coram R. P. D. meo Falconerio, in Camerinen. Beneficiatus 10. Maji 1709. §. 1. coram Reverendis. D. meo Molines Decano, & in Civitatis Castellii Canonicatus 12. Martii 1714. §. Ratio fuit coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Governatore.*

17 Et quamvis Joannes, se uti filium Julii Pelli, ac idcirco expressè per Testatorem vocatum præferendum fore contenderet quibuscumque aliis per Patronos nominatis juxta *Text. in cap. Si postquam 13., & cap. Dudum 14. cap. Cùm in Ecclesia 25. de de præbend. in 6. in l. Si unum in Familia §. 1. ubi Doctores ff. de legat. 2., quos in proposito refert, & sequitur Rot. in Barchinonen. Beneficii 2. Decembris 1701., & 24. Martii 1702. coram bon.mem. Card. Caprara in Melphiten. Cappellaniæ 4. Julii 1698. §. Quapropter, & in Corduben. Cappellaniæ 26. Martii 1596. §. 1. in fine, necnon in Terulen. Beneficii 25. Junii ejus-*

dem anni coram Muto.

18 Nihilominus animadvertent DD., quòd jus illud passivum unius ex filiis Julii Pelli consumptum, ac evacuatum remanserit usque de anno 1709., quo Franciscus Xaverius alter ex filiis sæpediti Julii unam ex memoratis Cappellaniis fuerat jam assequutus, unde cessaverat obligatio alium instituendi, cùm in unum tantùm ex dictis filiis vocatio Testatoris directa fuerit, adeòque ad alios filios non extendenda ex regula *Text. in l. Boves §. Hoc sermone ff. De verb. signific. Cravett. cons. 151. n. 9. vers. non obstat, & cons. 180. n. 2. in fin., & n. 3. Rot. cor. sa. me. Gregorio dec. 433. n. 7., & cor. Ubald. dec. 325. n. 7., ac cor. Penta dec. 1066. n. 3.*

Sentiebant quidem responsionis efficaciam, ac veritatem Scribentes pro Joanne Augustino, sed eam declinare, se posse blandiebantur, proponendo DD. animadversionem in factò, quòd Turnus tunc filio Julii competens consumptus quidem dici ad summum valuisset, quoties Franciscus Xaverius ejus frater assequutus fuisset aliam Cappellaniam ex judicio, seu dispositione Fundatoris, sed cùm eam institutionem recognoverit à gratia Eminentiss. Episcopi Tusculani, qui eidem collationem tamquam de devoluto largitus fuerat, attento lapsu 15. mensium, quo eadem Cappellania vacaverat, nemine unquam ex vocatis comparente, fess pro institutione instante, ac idcirco illa provisio ex jure diverso, seu ex diversa causa profuerit, dici propterea nequeat consumptum jus illud, quod à sola dispositione Testatoris derivare debebat.

19 Verùm nullius penitus relevantiæ visa extitit illa reflexio; Non latebat enim eosdem *Dominos* illa juris censura, qua cavetur, quod ubi Juspatronatus passivum certo personarum generi relictum sit, quamvis ad Ordinarios aliquando provisio devolvatur, valent equidem ea vice jure devoluto Beneficium illud conferre, sed tamen tenentur servata forma in fundatione Beneficii præscripta unum ex passivè vocatis instituere, ut tradunt *Garz. de Benefic. par. 10. cap. 3. num. 42. Caren. resolut. 159. nu. 4. Rebuff. in prax. benefic. tit. de devolut. nu. 4. cum duobus seqq. Lara de anniversar., & Cappellan. cap. 10. n. 27. Lotter.*

Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 24. n. 62., & 63. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 46. num. 33., & Monacell. in formul. for. Ecclesiast. par. 1. tit. 2. num. 13.

Quod ipse etiam met Summus Pontifex observat in Beneficiis ad Sedem Apostolicam devolutis, nullum unquam præjudicium inferens personis in fundatione passivè vocatis, ut observat *Castropal. Oper. Moral. tom. 2. tract. 13. de benefic. disp. 2. punct. 1. num. 17. Rot. coram Bich. decis. 189. num. 17., & seqq., & in re. decis. 121. num. 7. par. 17. in d. Barchinonen. Beneficii 2. Decembris 1701. S. Nec attendendum, & 24. Martii 1702. S. 1. coram cl. me. Card. Caprara, & 26. Martii 1703. S. fin. coram R. P. D. meo Lancetta, necnon in Vicen. Beneficii 17. Febr. 1713. S. Præterea coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Unde si Ordinarius tenetur conferre etiam in casu devolutionis Beneficia passivè vocatis, si Franciscus Xaverius talis erat, & Cappellaniam ab Ordinario fuerat assequutus, pernecessè dicendum est Ordinarium legem Testatoris, licèt ab eo non expressam unicè implevisse, & consequenter provisionem illam ab ejusdem Fundatoris dispositione emanasse; cum quælibet provisio semper intelligatur facta, prout de jure, & in eo modo sustineatur, quo de jure fieri debebat, ut advertit *Rot. in Alerien. Parochialis 28. Novembris 1692. S. Non refragante coram bo. me. Muto, & 27. Februarii 1696. S. Neque relevat coram Reverendis. D. meo Molines Decano impress. post Remocamp. de Coadjutor. decis. 11., & decis. 12. utrobique n. 6., & dec. f. 1030. num. 7., necnon decis. 1046. num. 8., & seqq. utraque coram Emerix jun.*

Inutili remanente Joannis Augustini replicatione, quod Ordinarius, nec expectare, nec requirere teneatur qualificatos, quibus Beneficia petendi cura incumbit; Quoniam ea procederent si ageretur de salvanda provisione ab Ordinario facta in estrancum jure devoluto, ubi nemo ex qualificatis intra statutum terminum non comparuisset, qui non est casus noster, dum comparuerat Franciscus Xaverius passivè vocatus, Beneficiumque fuerat assequutus, ut dixerit *modern. Roman. in ejus discept. Ecclesiast. 12. num. 59., & distinguit Rot. in d. Vicen. Beneficii 17.*

Februarii. S. fin. coram R. P. D. meo Aldrovando.

Aliàs maximum illud otiretur absurdum, de quo Scribentes pro Andrea conquerebantur, quòd posset qualificatus eveniente vocatione sibi debita Beneficii omittere petitionem Institutionis in termino ad præsentandum dato, ejusque artificiosè expectata devolutione provisionem, Jure devoluto reportare, ut ita, non redacta subinde ad actum consumptione ejus Turni in alia futura vacatione alterius Beneficii provisionem ex beneficio turni, adhuc in ejus sensu vigentis infraudem successivè vocatorum, vel futurorum Patronorum, ut in casu reportare 21 valeret; Talis enim conspiratio, ac fraus, ac apertissimus dolus commodum illud pareret, quod improbant omnia jura, nè detur occasio fraudibus, & signanter in *l. Nec & dolo ff. de dolo, & Rot. in dec. 372. num. 17. par. 18. rec., ac decis. 14., & decis. 229. num. 8. coram Benincasa.*

Minimè pariter proficiente, quod de tempore vocationis prædictæ Cappellaniæ, scilicet de anno 1707. reperiretur passivè vocatus Hieronymus Arrigonus, prælativè ad unum ex filiis Julii Pelli, adeoque nulla culpa adscribi valuerit eidem Francisco Xaverio, si in tempore ad præstandum indulto, ipse non comparuerit, ac pro ejusdem Cappellaniæ adjudicatione insteterit; Quoniam cum idem 22 Arrigonus ex defectu Clericatus foret incapax, & acquievisset, ut in facto verificabatur, semper verum erat, quòd Turnus eo tempore competebat uni ex filiis dicti Julii, ut docet *Card. de Luc. de Jurepat. disc. 20. num. 6.* Cum, sublato primo, locus sequenti in gradu aperiatur, ut profequitur *Rot. in decis. 443. num. 17. coram Merlin. decis. 52. num. 15. inter hæctenus impressas coram Me, & in Florentina Canoniciatus 12. Martii 1706. S. Eo enim ipso, coram R. P. D. meo Lancetta.*

Sublato debili nimis Turni præsidio, adhuc sibi adjudicandam Cappellaniam, de qua agitur, clamabat Jo: Augustinus, tamquam de genere Fundatoris prælativè ad Andream, qui simpliciter affinis, & extraneus asserbatur, ita mandante litera foundationis superius recensita, ibi nempe = *Con questa condizione però, che li Soggetti da nominarsi voglio, che siano del mio*

mio sangue, e più prossimi al mio parentato &c., ordinando, che da questa elezione restino sempre esclusi li forastieri.

Sed inutiliter cum allegatam illam proximioritatem, nullatenus in facto justificare valuisset; ultra enim, quod idem Jo: Augustinus minimè probaverat ejus descendendam ab Amita Fundatoris, nisi per depositionem duorum Testium, de hoc anno tantum, & pendente per consequens lite, ac absque partis citatione examinatorum, ac testari fatagentium de descendencia antiqua ipsis omnino incognita, neque umquam in anteriori instantia idem Jo: Augustinus se de Testatoris sanguine facere somniaverit, adeoque dictis Testibus, nulla penitus fides adhibenda sit *ex vulgatis*, data (citra ullam tamen veritatem) illa etiam conjunctione, adhuc nullam deducere valebat proximioritatem; Æquè enim, & Andreas sanguine cum Testatore conjunctus, imò in gradu proximior apparebat. Hujusmodi enim conjunctio Andreæ deducebatur ex eo, quod ipse est filius Josephi, qui fuerat filius Francisci Butii, dictumque Franciscum, ipsemet Fundator in consanguineum agnoverat, eum quodam legato in testamento honorando; Et licèt eundem pro affine nuncupasset, palpabilis tamen in nuncupatione error detegebatur, nec veritatem obnubilare valebat, quæ erat, quod Joseph Pater Andreæ foret consanguineus Fundatoris.

Quo denique Andreas haberet solam Patronorum nominationem, ut ei objiciebatur, non verò doceret de ejus acceptatione, & præsentatione coram Ordinario peracta, ex facto penitus in responsione Andreæ dilucidato diluebatur, dum & acceptatio, & præsentatio plenissimè justificabatur.

Et ita &c. utraque &c.

ARGUMENTUM.

An Patroni Laici, sive Ecclesiastici cogi possint per Superiorem ad dividendum Jus præsentandi per Turnum, seu Alternativam.

SUMMARIUM.

- 1 Refertur sententia Felini.
- 2 Nemo invitus cogitur stare in communiōne.
- 3 Provisio in casu discordiarum inter Patronos, aut paritatis vocum devolvitur ad Papam.
- 4 Usufructuarii quando invicem se impediunt in perceptione ususfructus, Judex tenetur eos cogere ad divisionem alternis vicibus.
- 5 Feudum communiter possessum à pluribus Fratribus, si isti sint discordes, dividi debet quo ad exercitium, seu usum illius.
- 6 Jus Tutela si oriantur discordie inter Tutores dividi debet quo ad ejus exercitium, & administrationem.
- 7 Electores si in electione discordant, Judex cogere eos debet ad concordiam.
- 8 Exercitium Jurium Parochialium spectans ad duos Parochos super domo sita, in confinio duarum Parochiarum in casu discordie est dividendum per alternativam.
- 9 Exactio subsidii charitativi super una, eademque Ecclesia competentis duobus Episcopis est dividenda per alternativam inter eos in casu discordiarum. Idem est in perceptione reddituum Ecclesie duobus Episcopis communis, si inter eos oriantur discordie & num. 10., & 29.
- 11 Jus percipiendi candelam in die Purificationis B. Mariæ Virginis competens pluribus Patronis dividi debet per Turnum in casu discordiarum.
- 12 Jus conferendi Ecclesiam competens duobus Episcopis ad evitandas discordias dividi debet per Turnum, & alternativam, & num. 19.
- 13 Sententia Lambertini docentis non posse Patronos cogi à Superiore ad divisionem Juris præsentandi per Turnum, & alternativam, est verior. Limitatur, ut num. 15.
- 14 Ex divisione simultanea Juris præsentandi, sæpe sæpius, vel eadem, vel majores insurgunt discordie.
- 16 Concordia inita inter Episcopum, & Patronum in una vacatione liberè conferendi beneficium, & in altera vacatione, conferendi illud ad præsentationem Patroni, an sit confirmanda?